

tulisset, haud dubia indicia erant imminutus incolarum ac
præsertim plebis numerus, ut ex hominum infrequentia non
fatis pristina civitatis facies agnosceretur, quadraginta circiter
millibus ea tabe absumptis. Quæ continentis ditiones pervaga-
ta, Brixiam, ac Patavium præcipue afflixit, quod Venetæ ur-
bis propinquitate eadem pericula & calamitates subiit. Ejus-
modi initia, incrementa, exitus pestilentiae fuere.

Inter tot curas reliqua negotia non intermittebantur. Nam
cum æstate ineunte, Senatus jussu, Jacobus Superantius By-
zantio in Illyricum pervenisset, de finibus cum Ferate, Bossi-
næ præfecto, agere cœpit; ac licet castella in Jadertino agro
sita jure restitui Reipublicæ debere multis rationibus conten-
deret, nil tamen impetrare potuit. De Zemonico oppido, quod
summi momenti habebatur, acrius actum; Turcis belli jure,
triumque annorum possessione se tuentibus; nostris contra pa-
cis conditiones objicientibus: sed obfirmatæ nimium mentes
vinci nequivere. Quinquaginta tamen pagos in eo agro, e Tur-
carum manibus ereptos, Superantius Jadertinorum finibus ad-
junxit. Siccum mox delatus, in easdem incidens difficultates,
cum Daslinam & Richticinam castella non posset, Verpolium
& Parisottum obtinuit, uno insuper ac triginta pagis, incola-
rum frequentia & soli ubertate insignibus receptis. Atque ut
legato, cujus magnum nomen, ingens existimatio apud Tur-
cas erat, Bassa gratificaretur, in Jadertinorum finibus Possida-
riæ comitatum, Jaderæ civitati valde opportunum, Reipubli-
cæ concessit. Iis confectis, absens procuratoria dignitate majo-
ribus comitiis decoratus, in patriam reversus est.

*Controver-
sia de fins-
bus a Jaco-
bo Superan-
tio cum
Turcis cō-
positæ.*

Verum finium controversiis, ex quibus dissidiorum pleræ-
que occasiones oriri poterant, compositis, quoniam Amurathis
consilia tenderent, sollicitis animis Patres circumspectabant.
Insuetam genti armorum cessationem; verisimile non videri,
præpotentem Regem milites, qui perpetuis stipendiis aleban-
tur, in otio degere diutius passurum. Itaque nihil, quo ma-
ritimum imperium tuerentur, omittendum rati, animum ad
Corcyram muniendam, novisque aggeribus ac propugnaculis
firmandam convertere, quæ & situ & natura magnum ad se-
curitatem Italiæ momentum afferret, & ad Macedoniam
Achajamque invadendam, si se occasio daret, opportuna
ad-

*Senatus de-
cretum de
Corcyra mu-
nienda.*